



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117824**

§. 18. Xenaias Iconoclasta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)

ditionem commoverat. Interim nemo Sæculum V.  
nesciebat Acacium ideo Calendioni in- A.C. 484.  
fensum esse, quod in Communione Feli-  
cis Papæ, & Joannis Talajæ Patriarchæ A-  
lexandrini perseveraret. Ergo Calen-  
dion in Oasin relegatur, & Petrus Fulo in  
Sedem Antiochenam reducitur consen-  
tiente Acacio, qui eundem jam toties  
damnaverat. Plures alii Episcopi eodem  
tempore, nempe Nestor, Romanus Cal-  
cedonensis, Julianus Mopsuestenus, Pau-  
lus Constantinensis, Manus Emericanus  
depulsi, & omnes quidem obtenta sedi-  
tionis specie, revera autem quod Zeno-  
nis Henoticum recipere recusarent; huic  
Petrus Fulo subscripsit, & litteras Syno-  
dales ad Petrum Mongum Alexandrinum  
misit. Expulso- rum Episcoporum aliqui  
Constantinopoli duram Persecutionem  
sustinuerunt.

## §. XVIII.

*Xenaias Iconoclasta.*

Petrus Fulo Cyro Hierapolitano præter  
alios Sede sua pulso suffecit hominem Conc. Nic. 2.  
in Persia natum, cui nomen Xenaias, seu Act. 5. p. 367.  
Philoxenes, a Patriarcha Calendione ex 370. ex th.  
illa Diocesi ejectum, quod Fidei Dogma- lect. Et  
ta corrumpere, & commovere Populum Joan. Dias.  
deprehensus fuisset.

Haud diu postquam Sedem Hierapo-  
litanam obtinisset, quidam Episcopi, qui

Sæculum V.  
A. C. 484. ex Persia advenerant, liquido probarunt, esse Mancipium fugitivum, & nunquam baptizatum. (\*) At Petro, num id verum falsumve esset, curæ non fuit, dixitque, ordinationem Episcopalem in Xenaia Baptismum supplere. Xenaias hic primus sacris Iconibus bellum intulisse legitur. Dicebat; cum Angeli essent sine corpore, non licere eis corpus affingere, nec specie humana pingere. Ineptum esse honoris genus, Jesu Christi imaginem exhibere, & nullum cultum ei esse gratum, quam in Spiritu, & Veritate adorari. Inventum esse pueris dignum, arte sculptoria columbarum simulacra efficere, quæ Spiritus sancti speciem exhibeant; *Quandoquidem, inquebat, Spiritus S. non est factus Columba, sed unica vice apparuit in hac forma, cujus substantiam non assumpsit.* Facta Doctrinæ consentiebant, quippe in pluribus locis Angelorum Imagines delevit, easque, quæ Jesum Christum exhibebant, in locis ab hominum oculis remotis occultavit.

## §. XIX.

*S. Barnabæ Reliquiæ.*

**A**nthemius quoque Episcopus Salaminæ in Cypro vexabatur a Petro Fulone, volente, ut sibi tanquam Patriarchæ sub-  
jice-

---

(\*) Dignam tali Auctore Doctrinam!